PARS SECUNDA

PHYSICES

SEU PHYSICA PARTICULARIS.

SECTIO I.

De Fluidis.

Duplex genetatim diſtingui debet fluidorum ſpecies; alia fluida nullum præbent elaſticitatis indicium, qualis aqua vulgo creditur. Alia autem ſunt eximie elaſtica, qualis eſt aer. Ad fluidorum doctrinam revocari etiam poſſunt quæ de lumine & igne a Phyſicis tractari ſolent. Totam hujus utiliſſimi argumenti amplitudinem in varia capita dividemus, diſtinctiſque articulis explicabimus.

CAPUT I.

Ee fluidis generatim conſideratis.

In fluido quolibet quatuor affectiones potiſſimum conſiderari debent. 1 Fluidorum natura. 2 Illorum æquilibrium. 3 Eorumdem motus. 4 Tandem reſiſtentia.